

Tempora flebothomiæ, uentosisq; apta eligere. Canon III.



Ro huius utilitatis usu, primum necesse est, ut aspectus, signa idonea, ipsa hominis complexio, ætasq; considerentur. Nam Luna ab impedimentis, quorum supra mentionem fecimus libera, Ioui, Veneri, Mercurioq; coniuncta, aut sextili, trino, quarto, opposito uel radio configurata in signo idoneo optimum dicimus, pro sanguinis emissione. Signa autem sanguineis congrua sunt ea, quibus terrestris natura est, ut ♄. ♃. & ♅. Flegmaticis uero ignea, ut ♃ & ♄. exceptis partibus uia combustæ, quæ transit per 8, usq; in 13 gradū ♄ ut supra. Cholericis ea, quibus aquea natura est, ut ♅ & ♄. Melancholicis signa aëria, ut ♊ & ♏. Gemini autem Leo & Scorpius, signa non idonea ab astrologis reputantur. Quod uero hæcenus de flebothomia relatum est, & ad uentosas pari modo referendum. Nam nihil inter hæc discriminis facimus, nisi quod uentosæ post oppositionem, flebothomia uero ante eam rectius, comodiusq; locum habet. Præterea & hora ipsa obseruanda est diligentissime, ita, quod ascendens sit ex signis idoneis, dominusq; ascendentis & Luna non sint in quarta, aut in octaua, neq; ullum cum domino octauæ domus aspectum habeant. Sint & maleficæ ab angulis remotæ. Septima autem præcipue & eius dominus non impediantur, alioquin in flebothomiatorem facile cadet error. Super omnia uero cauendum, ne in eo membro flebothomia fiat, cum Luna id signum tenuerit, quod membro illi dominatur, ex Ptolomæi sententia in uerbo 20. centiloquiij sui. Addunt alij ea quoq; membra flebothomo tangenda non esse, quæ uel à signo ascendente, uel domini ascendentis signo respiciuntur. Addo ad hæc, quod obseruatione dignum est, Lunam quatuor habere quadras, quarum prima à coniunctione in quartam primam, iuuenili ætati sanguinis missioni prodest. Secunda iuuenili & uirili. Tertia uirili & senili. Ultima senili tantum idonea. Illis deinde omnibus locus est, cū necessitas aliud non postulat, sæpe enim pro morborum aut corporum qualitate, nihil horum animaduertere debet medicus. Poterit tamen sapiens medicus, si dies ipsa apta non fuerit, horam saltem conuenientem ex iam dictis eligere. Si autem tibi nota fuerit natiuitas, ante omnia caueas, ne ascendens inimicum radici natiuitatis accipias, sicut illud, quod fuit in duodecima, octaua, uel sexta, aut in quo fuerunt infortunæ, aut radij inimici earum.

Tempora pro pharmaco sumendo salutaria eligere. Canon IIII.



Vm reliquorum cœlestium natura, influxusq; pernosendus sit, tum Lunæ maxime, in corpora nostra, uis atq; potestas, studioso medico perquirenda erit, ut salutis gratia medicina exhibita, cum stellarum ad se habitudine, naturaq; conueniat: isq; qui corporum cœlestium est influxus, cum rerum terra, marisq; nascentium, uirtuti & actioni consentiat. In signifero igitur tria signa sunt humentia, à quibus humidæ triplicitatis appellatio orta est, ea sunt, ♃. ♄. & ♅. Quia uero, similia similibus addita, uires augent, contraria uero minuunt, humida signa plurimum adiuuenti purgandis corporibus conferre uidentur, si Luna corporum huiusmodi domina, his in signis collocatur, quod quidem solertem medicum (nisi maiora pericula cogant) obseruare diligentissime oportet, ut Lunæ signiq; addito auxilio maiores uires habeant pharmaca pro educendis humoribus, & melancholicis præsertim minime incōmoda, ea sunt aëria illa, scilicet. Gemini, Libra, & Aquarius. Inter omnia tamen hæcenus
enume